



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 105. Margarita Regina turri Londinensi inclusa, & Henricus in carcere  
trucidatus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

nec impune devicti crederentur; verum Sæcul. XV.  
A.C. 1471.  
adeo sparsi, & incompofiti dimicabant  
Reginæ milites, ut vincendi spem haud  
reliquam facerent. Cessit igitur victoria  
Eduardo Regi, & Valliæ Princeps præ-  
lio victus inter occisorum acervos repe-  
riebatur. Id quidem Comminæus testa-  
tum reliquit, cum tamen Polydorus Vir-  
gilius referat, juvenem hunc Principem  
prælio captum ab Eduardo Rege fuisse  
interrogatum, cur ejus Regnum adeo  
audacter armis invasisset: illum vero in-  
trepide respondisse, se huc venisse, ut  
Patrem suum libertati assereret, & Avi  
sui Regnum recuperaret. Eo dicto Rex  
adolescens manu sua repulit, & abire  
jussit, illum autem e vestigio Clarentiæ  
& Glocestriæ Duces inaudita crudelitate  
trucidarunt. Princeps erat, sane beni-  
gniore fortuna dignus; omnibus enim  
longe præstantissimis Reginæ Matris suæ  
dotibus claruit, nec ullo Regis Patris  
sui vitio deformis erat.

## §. CV.

*Margarita Regina turri Londinensi  
inclusa, & Henricus in carcere  
trucidatus.*

Omnes Lancastriensis Familiæ Princi-  
pes, & potissima pars Nobilium, qui  
eisdem addicti erant, pari cum Rege  
fato

*Harpfeld.  
Hist. Eccles.  
Angl. Sæcul.  
15. 6. 4. & 5.*

Secul. XV. A.C. 1471. fato perierunt. Regina libertatem amittebat; in ipso enim certaminis loco capta, atque ad Londinensem turrim delata fuit, ubi solius Victoris beneficio vitæ suæ gratiam impetravit. Henricus ejus Conjux in eandem turrim conjiciebatur, & quamvis misera ejusdem conditio Anglis omnem de eo quicquam suspicandi metum adimere debuisset, nihilo tamen minus ibidem trucidatus occubuit. Immanis hujus, ac fœdæ crudelitatis Ministrum egit ipse Glocestrensis Dux Eduardi frater, qui furori suo haud satis datum ratus, si Regem suum se præsentem, aliena tamen manu jugulari præciperet, ipse novo crudelitatis exemplo regium pectus ferro trajicere non exhorruit, hacque inaudita sævitia palam fecit, quod ad turpissima quævis flagitia, quibus etiam postmodum se contaminaverat, libere perpetranda proclivis esset. Talis erat Henrici Regis exitus, qui manifestum posteritati reliquit documentum, quam caduci sint humanarum dignitatum gradus. Cetera Princeps erat ingenii dotibus quidem a natura parcius, uberius vero a gratia omni virtutum genere ornatus, necnon in hominum oculis omnium infelicissimus, sed juxta Evangelii instituta perenni felicitatis gloria dignissimus. Despectui habebatur ab hominibus, & si Comminæo credimus, imbecillis ac imprudens,

prudens, imo & stolidus, atque exiguo Sæcul. XV. A.C. 1471.  
 pollens iudicio credebatur; Verum Deus  
 illius humilitatem sublimem reddebat  
 miraculorum gloria, quæ ad ejus sepul-  
 chrum patrata fuisse narrantur, ob quæ  
 cultu ac honore Sanctorum coli prome-  
 ruit. Annum ætatis agebat quinquage-  
 simum secundum, Regni sui trigefimum,  
 continuis variæ fortunæ ludibriis exposi-  
 tus. Corpus ejus primo Londini in Mo-  
 nasterio Benedictinorum sepultum est,  
 inde vero postmodum Windesoram, ubi  
 natus erat, in Ecclesiam S. Georgii trans-  
 latum. Fuit Conditor Collegii regii Can-  
 tabrigiensis.

## §. CVI.

*Pembruchii, & junioris Richemundiæ  
 Comitis fuga.*

Defuncto Henrico Lancastriensium no-  
 men, ac propago penitus deleta est;  
 Eduardus enim tanta cædis aviditate in  
 hanc familiam furebat, ut etiam illos,  
 qui ex materna hujus nominis stirpe de-  
 scenderent, ad necem quæreret. Hos  
 inter erat Henricus Richemundiæ Co-  
 mes adhuc puer, qui Eduardi ambitio-  
 nem non effugisset, nisi Pembruchius Co-  
 mes illius Patruus eundem e proelio sub-  
 ductum secum amica vi abstraxisset.

## §. CVII.